


Dissertatio De Origine Vera Traditionis Falsae De Ioanna Papissa

Gottingae: Literis Io. Frid. Hageri, [1739?]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn870371320>

Druck Freier  Zugang






24 p
 99
 Pr. 52 p
 Pr. 32 p
 45 p
 42 p
 44 p
 22 p
 31 p
 A-B
 16 p
 17 p
 74 p
 Pr. 56 p
 58 p
 44 p
 A-C
 35 p
 28 p
 40 p
 20 p
 32 p
 48 p
 80 p
 25 p
 24 p

a. b
 a-ε.
 a-c.
 36 p
 20 p
 24 p
 A-C
 44 p

Fa-1092 (99)




57. 5.

Contenta:

1. J. Fr. Mayer, de Electione pontificis,
2. Vaticinia curiosa de Pontificibus Rom.
3. Th. Crüger, de Successione continua pontificum Rom. secundum vaticinia Matathiae Episcopi Armaghani.
4. C. M. Pfaffius, de Successione episcopali qua in tota Rom. ecclesia dudum defecit.
5. J. C. Wagenheil, de Romanis pontificibus,
6. J. A. Hartmann, Vita Innocentii III. Pont. R.
7. G. Remus, Commentum putidum, calcasse collum Imp. Friedericil. Anobisba Alexandrum III. Pont. R.
8. Missiva principum apostolorum Petri et Pauli ablegata Romam ad Paulum V. Pont.
9. J. F. Mayer, de Titulo Pontificis, Servi servorum,
10. C. Röhrensee, Ratio Status curiae Rom. circa quaedam religionis sua capita,
11. B. Biberstein, de Pravaricationibus Pontificum Rom. in Principes Imp.
12. J. D. Kiesling, de Artibus episcopi Rom. in stabilienda monarchia,

13. B. Goth. Aruvius, Vindicia Juris Imperatorii adversus urbis Romae Episcopos ab ipsis Augustis facta,
14. Jo. Z. Hartmann, de Jure Imperatoris circa canonizationem Hildebrandinam,
15. J. W. Jegeri Defensio Imp. Josephi contra Rom. ecclesia Bullas,
16. C. Kortholt, Apotheosis Papae,
17. C. S. Ziegler, de Monasteriis Pontificiorum ab oneribus tempore belli Turcici non peritus exentis
18. J. Fr. Mayer, de Cardinali Decano,
19. G. H. Goetze, de Benedictione Papae
20. Ejusd. de censuris pontificiorum venenatis
21. Ej. de Insidiis pontificiorum juventuti scholasticae strui solitis
22. J. D. Koeler, de Donatione Mathildina Pontifici Rom. facta,
23. J. F. Joachim, de spurio Mathildino dono
24. C. H. Feibich, de Pallio Mariae tutelari
25. P. C. Mitternacht, Maria Gumboldt-pignus
26. Jo. A. Gleich, vom Großen Grieftopfel,

27. Bella elementi gemini pugna divo Jo-
anni Nepomuceno martyri an a
flumine, an a lumine, quo coelitus
deciduo coronatus gloriosiori ase-
ctuose devota, decisa.
28. Z. Grapius, de Rosa aurea à Papa Rom.
quotannis solemniter consecrata,
29. J. G. Neumann, de Missionarius pon-
tificum,
30. J. C. Danthauer, de Festo corporis
Christi,
31. D. Gvil. Moller, de Malleolo Jobeleis
32. Jo. Dieckmann, de Primis et antiquis-
simis Joannis Papisæ præconi-
bus,
33. C. C. Handel, de Johanne VIII. Pont.
qui foemina fuit sexum mentita,
34. C. A. Heumann, de Origine vera tradi-
tionis falsa de Joanna Papisæ,



34.

DISSERTATIO
DE
ORIGINE VERA
TRADITIONIS FALSAE

DE
IOANNA PAPISSA
IN AUDITORIO THEOLOGICO
GEORGIAE AVGVSTAE

D. XI. APRILIS MDCCCXXXIX.

P R A E S I D E

CHRISTOPHORO AVGVSTO
HEVMANNO

S. THEOL. D. EIVSQ. ET HIST. LIT. PROF. PVBL.
DISPVTATIONI SVBIECTA PVBLICAE

A

IO. DANIELE SCHVMANNO

MVNDENSI

S. THEOL. CVLT. ET SEMINARII PHILOLOGICI,
ITEMQVE SOCIET. TEVTONICAE MEMBRO.

GOTTINGAE

LITERIS IO. FRID. HAGERI.

3

DISSERTATIO

DE

ORIGINE VERA

TRADITIONIS BALSAMAE

IOHANNIS PAPISSA

IN ACADEMIA THEOLOGICA

GEORGIAE AVGVSTAE

M. DC. LXXII

P. R. M. S. I. D. E.

CHRISTOPHORO AVGVSTO

HEVMANNO

S. THEOL. D. DIVO ET HIST. LIT. PROF. PUBL.

DISPUTATIONI SVBICTA PVBLCAE

IO. DANIELE SCHYMANNO

M. V. D. E. N. S. I.

S. THEOL. CVLT. ET SEMINARIJ PHILOLOGICI

ITEMQVE SOCIET. TRIVONICAE MEMBR.

GO. DVVINGAE

LITERIS IO. FRID. HAGENI

VIRO
ILLVSTRI AC GENEROSISSIMO
IOANNI GODOFREDO
DE MEIERN

S. REG. MAI. MAGNAE BRITANNIAE ET
ELECT. BRVNSVIC. LVNEBVRG. CON-
SILIARIO AVLICO

ET

ARCHIVI PRAEPOSITO

VIRO OMNIS IVRIS OMNISQ. HISTORIAE

CONSVLTISSIMO

ET

INTER HVIVS AETATIS SCRIPTORES

SPLENDIDISSIMA FLORENTI GLORIA

PATRONO LITERARVM

SVMMA VENERATIONE PROSEQVENDO

DISSERTATIVNCVLAM HANC

REVERENTISSIME EXHIBET

DEDICATQVE

AC TANTAM IN CLIENTELAM

RECIPI OPTAT

RESPONDENS.



LEMMATA.

Credulitas ingens humani intellectus vitium, I. Cause peculiaves, cur fabula de IOANNA PAPISSA tamdiu vera fuerit habita, II. Argumentum firmissimum, quo euertitur haec fabula III. IV. Infringitur argumentum a multitudine eorum petitorum, qui olim rem hanc pro vera commemorarunt in libris suis: simulque deducitur argumentum secundarium a iusta eorum auctoritate, qui, falsam esse hanc fabulam, agnouerunt, V. VI. VII. VIII. Progressus ad ortum pariter & originem huius fabulae, IX. Saeculo demum decimo tertio pro vera relatam literisque mandatam fuisse fabulam hanc, docetur X. XI. An utilis sit inquisitio in originem fabellae huius, XII. De origine huius fabulae opiniones Pontificiorum, XIII. Protestantium de fabulae huius natalibus coniecturae, XIV. Nostra sententia de prima huius erroris occasione & causa, XV. XVI. XVII. A crimine imprudentiae defenduntur illi Protestantium, qui docent & manifestum faciunt, falsissimam hanc esse fabulam: contra in illis desideratur prudentia, qui Papiissam adhuc obiciunt Pontificiis, XVIII.

A

D. G.



D. G.



mitabundum, vt ita loquamur, homo est animal. Quod fieri ab aliis qualicunque auctoritate conspicuis videt, idem a se fieri oportere, decernit praecipiti iudicio. Tam longe autem progreditur imitandi libido, vt non mores solum aliorum imitemur strenue, verum etiam sententias & opiniones. Hinc tot in orbe sectae. Oscitante vno in Graecia Aristotele oscitat ingens mortalium exercitus. Viuimus scilicet ita, quia ita viuunt: credimus ita, quia ita creditur. Atque sic errores etiam magni, etiam certissimis repugnantes veritatibus, propagantur per plures aetates, rantesque veluti pietate coluntur, vt, qui contra sentire sustinuerit, ei invidia, imo interdum infamia, vel etiam atrocior poena sit subeunda. Fit vero nonnunquam, vt post longum temporis decursum aliquis e somno caecae credulitatis euigilans, adhibita & dubitatione & meditatione communem errorem agnoscat, & aliis quoque multis aperiat oculos. Quo pacto fit, vt magnus aliquis & verus error a magna hominum multitudine deseratur & explodatur, veritasque ad vltimum triumphet. Tum vero miratur oculata posteritas caecitatem maiorum suorum, non creditura, nisi lapides & chartae loquerentur, maiores suos vsque adeo fuisse credulos. Recordemur, quaeso, illius temporis, quo Lutherus noster grauissimorum debellator & expulsor exstitit errorum. Quam pertinaci fide credebatur, in sacra coena panem ac vinum

vinum conuerti in corpus & sanguinem CHRISTI! Romanum Episcopum a CHRISTO praefectum esse toti Ecclesiae, & quidem tanquam oraculum, a quo quid verum, quid iustum sit & pium, disci oporteat! ut caetera omitamus similia. Quam mirabantur deinceps, qui veriora edocti fuerant a Luthero, tam absona, tam omni fundamento carentia, credi potuisse non ab infima tantum plebe, sed a viris sapientiae studium praeferebantibus! Iam cum tanta sit mortalium credulitas in rebus tanti momenti; cum sententiae, quarum error est periculosissimus & vel coelo excludit hominem, nulli subiiciantur examini, sine quo tamen ad veritatem non licet peruenire; quid mirum, in rebus multo minoris momenti contingere illud: *Errauere patres: hinc nos erramus & omnes?* Ad res momenti minoris, hoc est, circa quas erratur sine amittendae aeternae felicitatis periculo. pertinet maxima pars historiarum. Quae quanta excipi soleant credulitate, vir omnis historiae consultissimus, Matthias Flacius, pronuntiet. Hic vero hisce utitur (a) verbis: *Vsitatum est in historiis, ut, cum vnus aliquis initio a vero aberrauit, tum & omnes sequentes caecum ducem caeci & ipsi, id est, negligentes veritatis inquisitores, eum temere sequantur. Plane enim, veluti grues, sese mutuo historici ducunt & sequuntur.* Non mihi nunc succurrit luculentius historicae credulitatis documentum illo, quo tamdiu creditum est communiter, cygnum morti proximum cantum edere mirificae suauitatis. Poterat hanc rem sensu quisque suo explorare. Sed praeplacuit nimirum errare cum errantibus, caecutire cum caecutientibus. Addimus, errorum historicorum illos altissimas

A 2

age.

(a) In *Dissertatione de primatu Papae* p. 36. editionis Dietericianae.

agere radices, quibus lenocinatur religionis opinio, quosque haberi pro veritatibus e re nostrarum partium est. Ac tales qui sua fraudare conantur auctoritate, eum odio prosequimur, & ob id ipsum, quod examini subiicit historiam tot ac tantos nactam suffragatores, cui vel sua senectus (b) debeat esse praesidio, in Scepticos referimus & impudentissimos veritatis hostes.

II.

Quod adhuc diximus, accommodemus age ad historiam de Papa muliere. Ante Lutheri reformationem sacrorum id ideo credebatur, quia credebatur, hoc est, quia stultum ducebatur, in dubium (c) vocare, quod narrarant tot aetatum, tot gentium, tot sectarum historici. Post factam illam reformationem id propterea potissimum credi pergebatur, quia credere & utile & iucundum erat. Gaudebant innumeri tam turpem rem obiici posse hostibus, eamque iis obiciebant summa cum voluptate. Tantam utilitatem, tantam voluptatem eripiendi audacia non poterat esse impunis. Initium contra dicendi faciebant sapientiores Pontificii,

(b) Ita loquimur cum Tertulliano *Apolog. cap. IV. p. 52.*

(c) Non tamen defuisse tum prorsus sagaciores, qui saltim dubitarent, ex eo eognoscitur, quod quidam id narrarunt adiecto *ut ferunt.* Ac Aeneas quoque Syluius in *Epist. 130. non esse certam hanc historiam,* scripsit. Platina vero hoc narrationi huic subiecit epiphonema: *Haec, quae dixi, vulgo feruntur, incertis tamen & obscuris auctoribus: quae ideo ponere breuiter & nude institui, ne obstinate nimium & pertinaciter omisisse videar, quod fere omnes affirmant. Errennus etiam nos hac in re cum vulgo.*

tificii, agmen ipsorum ducente IOANNE (d) AVENTINO: quem cum veritatis maiorem, quam Romani Pontificis, fuisse (e) cultorem, constet, hinc facile agnoscimus, eum non favore erga Romanam Ecclesiam per motum repudiasse publicum istum errorem: etsi nec hoc diffitemur, sententiam ipsius plerisque Pontificiorum non tam ideo placuisse, quod vera esset, quam quod magnum dedecus abstergeret Ecclesiae Romanae, ac Protestantibus eriperet dulcissimam voluptatem τῆς ἐπιχαίρουσας. Saeculo decurso erant & inter Protestantes, qui hanc historiam tandem videbant esse errorem catholicum: in quibus aut primus (f) aut primo proximus tam acute vidit BLONDELLVS,

(d) *Auentinus primus omnium fabellam confidentius appellauit, quicquid de Ioanna vulgatum esset, inquit Spanhemius libri de Ioanna Papissa §. 34. p. 165: qui idem iam obseruarat §. 28. p. 133. Antea iam Calixtus libri de coniugio Clericorum p. 482: Primus, in quiebat, quod ego sciam, I. Auentinus fabellam appellare ausus est.*

(e) *Auentinus noster non fuit, inquit Papicola factus Bartoldus Nihulius in libro de Ioanna Papissa contra Calixtum, §. XIV. p. 60 Baronijs vero ad a. 996. §. 54. eum vocat infectam haeresis scabie bestiam. Ac Baelius in Dictionario ipsum appellat un bon Lutherien caché.*

(f) Haec plerorumque omnium est sententia. Obseruat tamen Theod. Hafaes *Biblioth. Brem. T. VII. p. 936.* & quidem testis oculatus, iam a. 1588. a Protestante quopiam singulari libello relatam esse hanc historiam inter *fragmenta*. Qui auctor (quem & Gretserus commemorat in *Examine Mysteriorum Plessacani p. 301.*) cur ignotum se esse voluerit, facile intelligitur. Metuebat scilicet, ne odium amarusque odii fructus sibi pareret haec sententia. An forte scriptor huius libelli fuit Mich.

DELLVS, vir ad iudicium de hac quaestione ferendum in primis idoneus. Quanquam autem multi inueterato eodemque iucundo illo in errore tum perseuerabant, viri etiam alioqui doctissimi, non tamen ita multo post, cum acuta illa historicorum natio surgeret, quae critica vocatur, & omnia ab historicis tradita seuerò subiiciens examini errores deprehendit innumeros suoque configit obelo, magnus eorum, qui in literarum studio supra vulgus eminent, numerus Blondello subscripsit, nubemque pro Iunone Capitolina amplexari desit. Quorum assensus & conspiratio cum iusti argumenti praebeat materiam, eos nominatim indicandos censemus. Id quod tamen antequam fiat, causas proferemus iustissimas, cur, si vel nemo agnouisset hunc errorem, tamen certum habendum sit, Papiissam esse reginam Romanae Ecclesiae fictam & commentitiam.

III.

Ac sunt indicia huius (g) erroris admodum luculenta. Nolim vero quisquam a me expectet insignem argumentorum copiam atque eorum explicationem verbosissimam. Tanto apparatu opus est ei, qui malam causam agit, vt scilicet in densissimam sermonis syluam deductus lector perpetuoque ratiuncularum strepitu obtusus audire sibi videatur, quod non audit, hoc est, perfunctoria tot argumentorum tamque longae declamationis contemplatione percussus & quasi defatigatus manus det victas, atque,
ora-

Buchingerus, Colmariensis, quem circa annum 1550. palam negasse, verum esse, quod de Papiissa fertur, Blondellus scribit in ipso suae *Auangelorum* exordio?

(g) Quem iam notavi in *Poeciles T. II p. 515.*

oratorem suum discessisse superiorem, assentiatur. Nos quidem vno tantum vtemur argumento, sed eo, quod vel difficillimo ad assentiendum animo expugnando sufficiat, si modo audiatur & alta mente reponatur. Hunc nimirum ratiocinamur in modum: *Ea narratio, quae nullum eius, quo gesta esse dicitur, saeculi, ac ne subsequentis quidem habet testem, cum tamen gesta esse dicatur & loco & a persona maxime illustri, ut necesse sit, eam in omnium notitiam peruenisse, suaque foeditate inimicis materiam dicacitatis praebuisse; cui praeterea repugnat certissimorum eiusdem aevi testium narratio, ita instituta, ut manifestissimum sit, id, quod posteriori tempore narrari coepit, gestum esse non potuisse; ea, inquam, narratio est certo falsa, & ex historiae monumentis expungenda: eoque magis, si res narrata per se tam abhorreat a vero, ut credi non debeat, nisi testes procedant in medium certissimae fidei & quavis exceptione superiores.*

IV.

Iam talis est narratio de sexus muliebris Pontifice noni saeculi. Omnes huius narrationis partes lectori iniiciunt suspicionem falsi. En eam totam, vti quidem ab Hartmanno Schedelio exhibetur in (h) *Chronico: Ioannes Anglicus & (ut ferunt,) ex Moguntiaci ortus malis artibus Pontificatum adeptus. Mentitus enim sexum, cum faemina esset, adolescens admodum Athenas cum viro docto amatore*
pro-

(h) *Fol. 169. b.* Editum est Noribergaeae. 1493. hoc *Chronicon*, quod Gerhardus *Locorum Theol. T. V. p. 1004.* ab Aenea Syluio compositum ratus certissimum errauit errore, nescio vnde haustum. Similem plane descriptionem alius scriptoris e MS. codice profert Oudinus *Comment. de script. eccl. T. II. p. 306.*

proficiscitur: ibique praeceptores bonarum artium audiendo tantum profecit, ut Romam veniens paucos admodum, etiam in sacris literis, pares haberet, nedum superiores. Legendo autem & disputando docte & acute tantum benevolentiae & auctoritatis sibi comparavit, ut mortuo Leone in eius locum (ut Martinus ait,) omnium consensu Pontifex crearetur. Verum postea a familiari (i) compressa cum aliquando occulte ventrem tulisset, tandem, cum ad Lateranensem basilicam proficisceretur, intra theatrum, quod Colosseum vocant a Neronis Colosso, & S. Clementem doloribus circumventa peperit: eoque loci mortua Pontificatus sui anno secundo, mense vno, diebus quatuor, sine vilo honore sepelitur. Sunt, qui haec duo scribant, Pontificem ipsum, quando ad Lateranensem basilicam proficiscitur, detestandi facinoris causa & viam illam consulto declinare; & eiusdem vitandi erroris causa, dum primo in sede Petri collocatur, ad eam rem perforata, genitalia ab ultimo Diacono obrectari. Rem tam magnam, tam memorabilem silentio (k) praetereunt omnes non solum historici, sed etiam caeteri scriptores illius aequae ac subsequenti saeculi: quos eam tacituros fuisse, si cognitam habuissent, incredibile est; quique, si vere accidisset, eam non potuerunt non habere cognitam. Nec solum Latini scriptores ad vnum omnes de facto tam publico sunt ipsi piscibus taciturniores, verum etiam Graeci;

(i) *A quodam suo cubiculario, inquit Theodorus Nemi-
mius in Flacii Catal. test. ver. p. 241.*

(k) Quam ἀποδεικτικὸν sit silentium τῶν συγγραφέων in hac controuersia, quamque nihili sint eorum responsiones ad hoc argumentum, qui historiam de Papiissa defendunt, accurate demonstrat Baelius in *Diction. v. Papeste* nota G.

ci: quorum illos, si foedum commemorassent (1) hunc casum, tutos praestitura erat compertissima veritas & communis omnium conscientia; hos odium erga Romanam Ecclesiam non poterat non extimulare ad decantandam hanc ignominiam. Imo & Latini & Graeci scriptores haud pauci, qui illo ipso vixerunt tempore, diserte testantur, Papae Leoni statim successisse Benedictum, atque hoc ipso clare refellunt vulgi de
Ioan-

(1) Dicat fortasse aliquis, imo credunt haud pauci, Latinos saeculorum noni ac decimi scriptores eam rem ideo praeterisse silentio, ne odium sibi parerent Pontificum vindictamque crudelem. Sed non est iusta haec responsio. Cum enim hic metus scriptores sequentium temporum, quorum tamen plerique adiecto *ut ferunt* rem fatentur haud satis esse certam, non absterruerit, quanto minus imperare silentium potuit ille metus illo tempore, quo rem illam accidisse (si quidem accidit,) a nemine negabatur! Deinde qui factum, ut tam foeda alia de Papis magnisque Episcopis, quae tamen & ipsa hodie falsa agnoscuntur, proderentur memoriae, e. g. de Hattone, Moguntino Archiepiscopo, facto cibo murium; de magia Papae Sylvestri secundi? Imo ex Launoii libri quarti epistolae octavae initio apparet, eo tempore, quo ista scribebat Launoius, (scripsit autem anno 1666.) Lutetiae non solum licuisse publicis in disputationibus defendere historiam de Ioanna Papis, sed fuisse etiam non paucos, qui adhuc haberent eam pro verissima. Adeo falsum est, quod scribit in *Dictionario suo Historico* Morerius, *qu'entre un si grand nombre de gens, qui en ont écrit, il ne se rencontre pas un seul François.* Ac multis exemplis refellit hanc Morerij opinionem Baelius v. *Papesse* not. H.

B

Ioanne siue Ioanna inter duos illos interiecta fabulam. Ac Latinos (m) quidem huius generis scriptores Blondellus produxit & Natalis Alexander; Graecos e Blondello pariter atque Allatio repetiit notulis aliquot subiunctis Fabricius in *Bibliotheca* (n) *Graeca*. Iam si uel maxime illius Ioannis sexum ac partum silentio uoluissent praetermittere eiusdem aevi scriptores, honori scilicet Romani throni consulturi, id tamen fieri nec debuit nec potuit, ut ipsum Ioannem, tanto in fastigio notum orbi uniuerso, tanquam nec visum ulli nec auditum omitterent, & quidem ad unum omnes. Quem igitur in modum credi non potest, fuisse quempiam Imperatorem Romanum, de quo altum est apud omnes aevi sui scriptores silentium; sic nec fieri potuisse credendum est, ut, inter Leonem & Benedictum sedisse (ut cum Latinae Ecclesiae hominibus loquamur,) Ioannem illum, non commemorarent, qui illius aevi res literis prodiderunt memoriae.

V.

Apparet satis superque, falsum esse, nec verum esse posse, quod de Papissa IOANNA a tot posteriorum tem-

(m) Inter hos luculentissimus est locus Hincmari Rhemensis, scribentis, cum sui legati Romam tendentes *in via* essent, *nuntium venisse de obitu Papae Leonis*, ac legatos illos suos *suas literas reddidisse Papae successori Benedicto*. Quam in omnes partes se vertit Spanhemius §. 70. 71. & 72. ut testimonio huic auctoritatem detrahat! Scilicet cum iudicis persona ipsi haud esset opportuna, fungi libuit uasri causidici officio.

(n) *Lib. V. cap. 43. p. 433. 434. & 435.*

temporum scriptoribus traditur. At cum horum ipsorum multitudo, tum & multitudo eorum & magnitudo, qui illis fidem habuerunt, clamor, inquam, tot narrantium totque item rem communiter (o) narratam propugnantium tam vehementer obunditantes plerorumque,

B 2

que,

(o) Non immerito cum fabula de Papissa confert fabulam & ipsam vniuersalem de Papa Cyriaco Launoius *lib. IV. epist. 8. p. 570. sqq.* editionis nouissimae, Nec proinde nos mouere debet argumentum Calixti, inde hanc historiam defendentis in suo *de coniugio Clericorum opere p. 474. quod tot eam memorent historici, quibus, cur fingerent, neque amor neque odium neque inuidia neque spes præmii causa esse potuerit.* Falsissimum namque est, quod supponit vir alioquin acutissimus. Non enim finxerunt id historici, contra sui sensum animi eam fabellam propinantes simplicioribus, sed illaudabili credulitate propagarunt suis in monumentis traditionem vulgi. Verum condonamus hoc Calixto eo facilius, quod postea omnem de Papissa errorem eiecit ex animo: id quod Curcellæus refert in *Præf. ad illum ipsum Blondelli libellum.* Cui eo magis fides habenda videtur, quod idem hoc verissime ibidem testatur de Conringio. Et quis ignorat, quibusuis præiudiciis præponderasse in CALIXTI animo amorem veritatis? Simile exemplum palinodiae præbet RVDOLPHVS CAPELLVS, Professor Hamburgensis, quem, cum a. 1655. singularem edidisset Dissertationem ad confirmandam hanc historiam, postea (lecto haud dubie libello Blondelliano,) ea de re dubitasse, *ex testimonio viri fide dignissimi se scire,* ait Theodorus Hasæus in *Biblioth. Brem. T. VIII. p. 935.* Ac INFANTIVM quoque, qui Gallicam Spanhemiani *de Papissa* libri versionem confecit & edidit, sumque eadem fuit in sententia, elapsis aliquot annis

que, vt oculis suis vti non valeant, hoc est, vt locum non relinquunt iusto examini, sed quod a tam multis, a tam doctis tam longo temporis spatio creditum est, simpliciter credendum esse existiment. Horum igitur vt praeiudicium auctoritatis profligemus, in hanc scenam producturi sumus & multos & magnos viros, qui post adhibitum huic traditioni examen acerrimum statuerunt, falsissima esse, quaecumque de Papiſſa superius acuum & credidit & tradidit. Ita victas videntur manus daturi, qui auctoritatibus magis moueri solent, quam rationibus. Opponemus nimirum auctoritatibus aientium auctoritates negantium, easque multo grauiores multoque splendidiores. Opponemus, inquam, eis, qui id crediderunt tradideruntque sine examine, venerabilem (p) Senatuum eorum, qui post acutissimum examen suam

agnouisse errorem suum, discas licet e *Bibliothecae Germanicae T. X. p. 27.* vbi ab aientium partibus recedens in Pyrrhoniam se confert scholam, certique aliquid hic definiri posse negat.

Lugd. 1691. 8.

(p) Fatetur Spanhemius in libri *de Ioanna Papiſſa s. 42. p. 205.* fabulam hanc reiicere, *quicquid fere Criticorum est in re historica.* Ita concedit, plerosque omnes huius fabulae defensores, inter quos ipse se iactat *μετὰ πολλῆς Φαντασίας*, non esse critici acuminis laude conspicuos in controversiis historicis. Nostra igitur facimus paululum immutata verba *Lactantii lib. II. cap. 19: Vt illic multitudine, ac prope consensu omnium gentium, premimur, ita hic auctoritate nos tuemur praestantium omni genere laudis virorum. Quis autem nesciat, plus esse momenti in paucioribus doctis & acutis, quam in pluribus vel imperitis, vel rem iusto examini non subiicientibus?*

suam αὐτῶν παρὰ τῶν pronuntiarunt sententiam. Hos qui intuentur, nostrum simul hunc syllogismum vacuis excipiant auribus: Si haec narratio inter fabellas reiicitur a Theologis aliisque magnis viris a Papaea religione auersissimis, iisdemque in Historia ecclesiastica versatissimis, & summa summi acuminis laude florentibus, nec ignavis argumentorum, quibus contrariam sententiam fouerunt acerrimeque defender ut alii, non potest non credi, eos, cum alteram sententia ipsi diu fuissent, clarissima veritatis luce permotos & quasi coactos fuisse, ut recedentes a via τῆς ἀληθείας susciperent sententiam aduersariis magis, quam sibi ipsis, commodam, ac docerent, fabulam illam esse falsissimam. Denique rogamus viros optimos verique studiosissimos, ut nebulam, quam sibi objecit multitudo cum testium, tum affectuorum, dispelli patiantur oraculo librorum nostrae Ecclesiae symbolicorum, quod hisce verbis (q) editum est: Veritas ex vulgi rumoribus colligi non potest. Ac ne quis multitudine (narrantium) moueatur, non magna auctoritas est in testimoniis posteriorum, qui

B 3

tan-

(q) In Aug. Conf. p. 20. & in Apol. A. C. p. 174. Adiungimus similia verba Ven. Carpzouii, ita profluentia in Criticae sacrae P. II. cap. 2. §. 2. n. 4. p. 490: Veri non est simile, traditionem de LXX. interpretibus ultra sesquē mille annos tot imponere potuisse viris doctis, ut nemini vnquam fraus suboleret. Ad hanc vero obiectionem sic respondet: Posteriores, ut solent oues gregariae, priorum vestigiis haeserunt, non examinantes, verane an supposititiam narrationem adoptarent. Quid? quod hodiernum multas deprehendimus narrationes esse supposititias, licet non a sequentium modo saeculorum historicis, sed etiam a coaeris magna cum assenatione tradantur.

santum compilatis superioribus (scriptoribus) transfuderunt illas opiniones ex aliis libris in alios, & nihil iudicii adhibuerunt, sed ut pedanei senatores taciti comprobauerunt superiorum errores.

VI.

Nominandi igitur nunc nobis veniunt Protestantium (r) doctorum illi, qui, cum diu fuissent communi in sententia, Papissamque habuisse nonum saeculum, sibi persuasissent, tandem reuocata sub examen acrius & quam fieri poterat ἀναδίστατορ illa sententia, se errasse, agnouerunt, ac vel ingenue professi sunt vel saltem tacendo clamarunt, traditionem illam esse inter fabulas reiiciendam illustri nostro aeuo indignissimas. Duas enim has in clases meos testes veritatis debeo dispescere. Cum enim superiori tempore periculi plenum esset, fa-

(r) Vrgeri etiam hoc potest, quod in Pontificia Ecclesia hodie hanc traditionem pro falsa habent non solum caeci Papicolae, Baronius, Bellarminus, Gretserus, similes, verum etiam ii omnes, qui historiam ecclesiasticam tam sincero veritatis studio pertractant, vt pluribus historicis erroribus detegendis vel publicum odium sibi parere sustinuerint, Launoius, Mabillonius, Pagius, Dupinius, Alexander, Fleurius, Rich. Simonius, cuius vid. *Biblioth. crit. T. II. cap. 30.* His tamen ipsis grauem se praebet antagonistam Spanhemius, docens in libro suo *de Ioanna Papissa*, iniuste illos hac in causa vrgeri silentium scriptorum saeculi noni ac decimi, cum multas alias historias habeant pro verissimis, quas monumenta exhibent totidem vel etiam pluribus saeculis posteriora. Bene igitur interdum disputat κατ' ἀνδρα-
στον qui male disputat κατ' ἀλήθειαν.

mae (s) contradicere publicae, multi non audebant clara voce, quod sentiebant, exponere, satis fore putantes sapientibus, si, etiam oblata occasione, non se præberent patronos inueterato errori. Idem hi priuato in sermone vel per literas priuatim scriptas docebant, quod publice docere videbatur intempestiuum. Quos inter fuisse Danielem Chamierium, Petrum Molinacum, & Samuelem Bochartum, at quantos viros! testis est Claudius Sarravius, ita scribens (t) ad Salmasium: *Noli credere, primum aut solum e nostris Blondellum ita sensisse. Adhuc viuunt in hac urbe insignes viri, qui audierunt ex ore Chamierii, se istam historiam vulgo creditam fabulosis deputare. Vidi nuper scriptas literas Petri Molinaei, quibus, idem semper sibi esse visum, affirmabat. Multa certe cum scripserit, quibus Romanum sugillauerit pudorem, ab ista tamen foemina semper manum abstinuit. Et poterat tamen vir non infacetus alicuius ioci inde capere (u) occasionem. Penes me sunt literae Bocharti, quibus testatur, sibi esse procomperto, vanum esse & fictitium, quicquid haectenus de ea sit proditum. De Chamierio id quoque obseruo, eum in Panstratiae suae Catholicae T. II. lib. XVI. cap. 16. in quo agit*

(t) *Metuebant malum, inquam cum Lactantio lib. I. cap. 19. si contra publicam persuasionem faterentur, quod erat verum.*

(u) *Epist. p. 227. Scias, lector, eadem in sententia esse Sarraviium ipsum, hominem Reformatum.*

(w) *Recordatus huncce Sarravi locum Baelius in Dict. v. Moulin librum quendam a Molinaeo 1636. editum commemorat, in cuius cap. 22. de PapiSSa ne verbulum quidem faciat, cum tamen occasionem nactus esset commodissimam. E quo silentio iure concludit, Molinaeum id fabulae non credidisse.*

agit de sceleratis & flagitiosis Romae Christianae Pontificibus, omittere non potuisse hanc de Ioanna Papissa historiam, si eam habuisset pro vera. Iam vero ibi ne minimam quidem eius fecit mentionem. Ac eundem Chamierium, cum aliquando a docto viro, verbi Dei ministro, esset rogatus, quid sibi de Ioanna Papissa videretur, rotundo ore respondisse: *Fabula est*; scribit in Praefatione ad Blondelli *Anacrisin* Curcellaeus, huius & ipse subscriptor sententiae. Qui &, Andream Riuetum, audito, esse, qui confutationem pararent sententiae Blondellianae, ita dixisse, ibidem testatur: *Valde dubito, an Blondello bene responderi possit & cum lectoris cordati satisfactione*. E nostratibus tres nunc quatuorue succurrunt, qui silentio suo docuerunt, falsam sibi visam esse hanc historiolam. Scilicet in Carionis *Chronico*, quod partim Melanchthonem, partim Peucerum habet auctorem, nulla huius Papissae mentio. Jo. Cunr. Dieterichius in *Breviario suo Romanorum Pontificum* (x) exhibet quidem IOANNAM, sed asterisco appposito cauens, ne iudicetur certam habuisse hanc historiam. Qui & in Praefatione (y) ad *Auctarium suum Catalogi testium veritatis* malos recensens Papas Ioannam reliquit indictam. Quod idem fecit Christoph. Cellarius, in *Historia medii aevi vniuersali* haud referens ad res saeculo nono gestas, quae vulgo traduntur de Papa muliere. Apertius, hanc a se haberi commentitiam fabulam, prodit Tenzelius in *Colloquiis mensuris* anni 1699. suam ibi (z) proferens sententiam sub *Antonii* persona, vulgarem propugnans sub personis

(x) P. 154.

(y) P. 2. - 8.

(z) P. 415. - 430.

fonis Leonbardi & Constantini, hominum (ita enim eos repraesentat, fidei simplicioris securiorisque. Sed nec taceendus Sethus Caluifius, qui in *Opere* (a) *chronologico*, postquam exhibuisset historiam vulgarem de Ioanna Papissa, curque de eius veritate dubitet, causas subiecisset, ita concludit: *Statuat de hac re, quod quisque putauerum esse.* Ac in subiuncto huic operi *Indice* ita suo loco commemoratur Papissa: *Ioannes VII. Papissa, forte fictitia.* Adiungo his e Reformatis Boxhornium ac Timmannum Gesselium: quorum (b) ille, edito tum Blondelli libro, etsi, *huic non deesse magni ponderis argumenta*, fatetur, alium tamen in locum suae ipsius sententiae professionem cautus differt; hic (c) illo ipso tempore *canonidorem* quidem Blondelli laudat, & *argumenta eius ait esse haud parui ponderis*, non tamen aperto ore se profiteretur ipsius subscriptorem.

VII.

Audiamus etiam nunc iudices audaciores seu potius candidiores, hoc est, eos (d) Protestantes, qui nihil dubitarunt publice docere, nullam Romanos inter Pontifices fuisse *Ioannam*, ac partim suam hanc sententiam certis stabilierunt argumentis. Non est autem, cur patros

(a) P. 663. editionis anni 1650.

(b) *Hist. vniuers.* p. 476.

(c) *Hist. sacrae P. II. p. 79.* editionis anni 1680.

(d) Apparet, hoc nomine a nobis comprehendi omnes sectas, quae secesserunt a grege Romani Pontificis, quaeque huius aederae nominant *Acatolicos*: etsi proprium initio hoc nomen fuit eorum, qui ducem sequebantur Lutherum. Quo iure deinceps caeterae sectae nomen *Protestantium* adsciuerint, alius loci est disputare,

nos huius sententiae distribuamus in classes pro sectarum religiosarum diuersitate. Non est enim Theologica haec quaestio, sed historica. Illud iustius faciemus, vt aliquam temporis, quo quisque scripsit, habeamus rationem. Agnouerunt igitur hanc feli crassioris sabellulam post IO. AVENTINVM, qui, cum magis Lutheranae doctrinae fauerit, quam Pontificiae, haud immerito huc refertur, Dauid BLONDELLVS, Martinus (e) SCHOOCKIUS, Ioannes (f) DALLAEVS, Claudius (g) SARRAVIVS, Stephanus (h) CVRCELLAEVS, Thomas (i) BROW-

(e) In *Fabula Hamelensi P. II. cap. 12. p. 123.* editionis secundae: vbi discrete refert in fabularum numerum illam de Ioanna Papissa narrationem. Exhibet isto in opere Schoockius praeclaras obseruationes generales ad dignoscendas veras historias a fabulis.

(f) In *Vindiciis Apologiae pro duabus Synodis P. III. cap. 8. p. 450.* Longe facilius fuerit, inquit, illam Blondelli de hoc argumento lucubratiunculam sugillare, quam veris certisque demonstrationibus euertere.

(g) Vid. supra §. VI.

(h) De quo supra §. VI. Hic ibidem obseruat, libellum Blondelli a. 1647. primum editum tam parum displicuisse eruditis, vt ex magno eorum numero ne vnus quidem in arenam prodierit, & se ad eum refutandum accinxerit. Scribebat hoc Curcellaeus a. 1657.

(i) In libro septimo *Pseudodoxiae epidemicae.* Hoc opus qui in *Actis eruditorum* recensuit, & quidem primo in Tomo *Supplementorum*, p. 286. docet, in Bibliotheca Lipsiensis Academiae *Chronicorum* Martini Poloni tres reperiri MSS. codices, vnum membranaceum, duos chartaceos; in posterioribus reperiri narrationem de Papissa, in primo non item.

BROWNIUS, Hermannus (k) CONRINGIUS, Io.
Andreas (l) BOSIUS, Daniel (m) ZVICKERUS, Gil-
ber-

(k) Clarissimus ille Baro, Io. Christianus Boineburgius, in epistola quadam a Struio in *Actis literariis* edita, & quidem in *Fasciculo eorum octavo*, p. 49. inter antiqui omnis aevi callentissimos viros, qui hanc historiam pro fabulamento habent, nominatim laudat & Conringium, nullum tamen indicans eius locum. Luculentissimus vero est locus ille, quem reperi in *Responsione Conringii ad Bart. Nihusii nouas obiectiones*, annexa secundae editioni (quae a. 1649. prodiit,) libri de origine Iuris Germanici. Ibi enim cap. II. §. 29. p. 273. haec legas: *Fabulam de Ioanna Papissa dudum haud pauci Protestantium agnouerunt: neque ea mihi unquam se probauit. Noli autem quaerere hunc locum in tertia operis Conringiani editione, quam dedit annus 1665. Hic enim Excerpta duntaxat ex ista ad Nihusium Responsione exhibentur, hoc est, Caput solum tertium, quod idem postremum est, prioribus omissis duobus Capitibus.*

(l) De hoc ita scribit Eberh. Rud. Rothius, Gymn. Vlm. Prof. in *Discussionem quarundam quaestionum illustrium*, a. 1687. edita, p. 7. quo loco ipse contendit, veram esse historiam de Papissa: *Io. Andream Bosium, praecceptorem meum & hospitem quondam fideissimum, adeo mouit Chronologica Labbei Demonstratio, ut, eam inuictissimam esse, asserentem ipsum non semel audiverim.*

(m) Hic a. 1658. *avvovμus* edidit *Iudicium de Sam. Maresii Ioanna Papissa restituta*: qui libellus Helmstadii recusus est a. 1703.

bertus (n) BVRNETVS, Conradus Samuel (o)
SCHVRZ-

(n) In *Itineris sui per Heluetiam & Italiam P. II. p. 93.* versionis Germanicae. Non habeo, inquit, pro vera hanc de Ioanna Papiſſa hiftoriam: ac vidi in Anglia MS. Martinum Polonum, in quo tam vetuſto codice, ut proxime a morte Martini videatur ſcriptus, haec hiftoria tantum margini inſcripta reperitur, & quidem manu recentiori.

(o) Verba huius & argumenta e MS. quodam Collegio, quod vocant, in *Hiftoriam eccleſiaſticam* producit diſcipulus eius, perſonatus ille Clarmundus, in *Vitis clariffimorum in re literaria viroꝝ P. IV. cap. 13. p. 126. ſq.* Digna ſunt, quae hoc loco recitentur verba viri iudicio praepollentis, ob eamque cauſam praecipuae in rebus hiftoricis auctoritatis. *Opinio*, inquit, *de Ioanna Papiſſa vulgata eſt anno ſupra milleſimum octogefimo tertio.* Non autem capio, quomodo id factum tamdiu delituerit, quod publice in communẽ adſpectu accidiffe fertur. Profecto Graeci id non praeterituri erant, quibus tum controuerſia erat cum Eccleſia Latina. Nihil dicam hic de offeſſa Gunthari, Metropolitanì Coloniaenſis, qui ſedi Romanae ſe oppoſuit, obiecturus, ſi tale quid ſciuiſſet, inprimis cum patrocinio Lotharii iunioris niteretur: quod ex hiftoria Carolingorum conſtat. Marianum, qui ducentis & triginta annis poſt tempora Ioannae Papiſſae ſcripſit, ſecutus eſt Sigebertus Gemblacenſis, qui ſub initia ſaeculi XII. eandem ſententiam & narrationem literis mandauit. Occaſionem, opinor, opiniononi rumor dedit, de ſaemina Epifcopo apud Conſtantinopolitanos creato ſparſus & diuulgatus.

SCHVRZFL^EISCHIVS, (p) LEIBNITIVS, (q)
 BAELIVS, (r) CLERICVS, Christianus Franciscus
 (s) PAVLINI, Anonymus (t) Altorfinus, Io. Philip-
 C 3 pus

(p) Huius ipsius verba MSS. haec producit Eccardus in Praef. ad eius *Collectanea etymologi cap. 61: Dissertatiuncula (mea) inscribitur: Flores sparsi in tumulum PapiSSae: ubi novis illatis in historiam luminibus fabula illa explodetur, quae solis haecenus tenebris chronologicis se tuebatur. Hunc Leibnitii libellum asseruari nunc in Bibliotheca REGIS nostri Electorali, testis est successor eius, ille ipse Eccardus, in Commentariorum de rebus Franciae orientalis lib. XXX. ff. 119. p. 437. Qui & ipse, cum ibi §. 120. 121. & 122. hanc fabulam impugnet, & quidem, ut in *Actis eruditorum a. 1732. p. 255.* indicatur, *solide*, inter confessores Protestantes referri meretur. Assensus enim id est Leibnitio suo dudum ante, quam non religio, sed Suada quaedam male-suada, ipsum in castra Pontificis coniecerat.*

(q) Refutatis & explodit hanc narrationem copiose, idque tribus *Critici sui Dictionarii* locis, primum sub *Papissae*, deinde sub *Poloni*, denique sub *Radulphi* nomine. Adde eius titulum de *Blondello*.

(r) *Biblioth. choisie T. XXIII. p. 60. sq.*

(s) *P. II. der Zeitkürzenden erbaulichen Lust cap. 8.*

(t) Huius Dissertationem eruditam exhibet Schelhornius *Amoen. liter. T. I. p. 195. 221.* Confirmavit mihi quidam Altorfinae Academiae Professor, huius Dissertationis auctorem esse Ioannem SAVBERTVM: id quod eo facilius credo, quod huius *locus* fuit, qui idem sentiebat, *Conringius*.

pus (u) PALTHENIVS, Guilielmus (x) GAVEVS,
Batauus quidam anni 1714. (y) scriptor, Iacobus (z)
BASNAGIVS, Io. Fridericus (a) REINHARDVS, Fride-
ricus Wilh. (b) BIERLINGIUS, Theodorus (c) HA-
SAEVS

(u) Sui huius praeceptoris *Epistolam de Papissa commen-
titia* exhibet laudatus modo semperque mihi laudan-
dus Schelhornius in eiusdem operis Tomo IX. p. 817.

sqq.

(x) Hic *Hist. lit. script. eccl.* p. 647. ita scribit: *Fabulam ef-
se illam de Ioanna Papissa narratiunculam, nullus dubito.*

(y) In *Journal littéraire T. V.* p. 275. *Il n'y a presque
personne, inquit, qui doute aujourd'hui, que ce fameux
évènement ne soit une pure Fable.*

(z) *Hist. de l'Eglise lib. VII cap. 12.* ubi ita recitat utrius-
que partis argumenta, ut haud obscurum relinquat, po-
steriora sibi haberi validissima. Basilius idem vidit,
in *Dict. v. Blondel* nota I extrema haec scribens: *Je
ne croi pas, que l'on se trompât, si l'on ajoutoit Mr.
Basnage à ces, qui tenoient pour fabuleuse histoire de
la Papesse Jeanne. Voyez ce, qu'il a écrit la-dessus
(Hist. de l'Eglise) dans le termes d'historien des raisons
de chaque partie: vous n'aurez pas de peine à com-
prendre, quelle est sa pensée.*

(a) Virum hunc illustrem, cuius *Theatrum prudentiae* ex-
stat, noua nuper Praefatione ornatum a collega meo
coniunctissimo, Celeb. Gesnero, hac fuisse in sententia,
Clarmundus docet eo, quem paulo supra indicaui, lo-
co p. 127.

*editionis Lips.
1724. 8.*

(b) In libri *de Pyrrhonismo historico cap. I. §. 16. p.
49. - 53.* Adde, quae in Praefatione differit de quaestio-
ne hac.

(c) In *Biblioth. Brem. T. VIII. p. 529.* *Equidem, inquit,
non diffiteri velim, re impensius licet considerata, non-*

SAEVS, Io. Christophorus (d) COLERVS, Io. Albertus
(e)

*dum videre me posse, quomodo illorum argumentis, qui
fabulam illam infitiantur, ita responderi possit, plane
ut iis satisfiat. Idem repetit p. 935.*

(d) Eius Dissertatio ita inscripta: *Florum sparsio in tumu-
lum Ioannae Papissae*, exhibetur in Observationibus
plurium eruditorum virorum Germanice scriptis,
(*Vürgliche Anmerkungen*,) quas ipse a. 1734. edidit,
p. 309. . 318. Habet igitur amicus hic quondam meus,
Theologus sincere orthodoxus, hanc laudem, quod
omnium nostrae ecclesiae Theologorum primus sin-
gulari libello docuit, maiores nostros, dum, mulie-
rem aliquando Papam fuisse, communiter crediderunt,
errasse. Non est quidem credibile, Theologos nostros
ad vnum omnes permanisse in hoc errore: ac paulo
ante iam laudauimus Calixtum & Bierlingium; sed pars
haec est Decori Theologici, errores inueteratos dere
ad summa religionis capita non pertinenti intactos di-
mittere, si refutatio erroris publici videatur cum quo-
piam coniuncta scandalo. Sufficit itaque, Theologos
tum publice subscribere veritati eiusmodi problemati-
cae, cum alii viri eruditi iam satis demonstratam eam
dederunt, nec multum metui potest scandali ex veteris
sententiae repudiatione. Caeterum miror, Colerum
suae Dissertationis titulum mutuatum esse a Leibnitio,
nec eam nouo aliquo titulo inscripsisse, e. g. *Extrema
vntio Ioannae Papissae*. Illud non tacendum, Co-
lerianae Dissertationi a. 1735. opposuisse *Epistolam*, ad-
scito *Sinceri Pistophili* nomine, Max. Reuer. Oederum,
Suobaci editam, in qua Calixtinis potissimum armis
propugnat pro veritate huius historiae.

(e) FABRICIVS, Io. Alphonfus (f) TVRRETIVS.

VIII.

Separatim nunc, age, audiamus tres adhuc viuentes nostrae Ecclesiae Theologos primae magnitudinis, qui *Historiam* descripserunt *ecclesiasticam* tanto doctorum hominum applausu, vt in primae magnitudinis scholis duces eligantur ab illius historiae doctoribus. WEISMANNVM(g) dico, (h) PFAFFIVM, & (i) MOSHEMIVM. Horum duo priores dici possunt nec satis clare nec satis obscure suam exhibuisse sententiam. Adeo perspicuum est, eos haud refragari iis, qui turpes inter fabulas reiiciunt, quicquid de IOANNA traditur. Tertius Romanum illud NON LIQUET eligens, concedit tamen, *confirmatum esse a viris eruditis, hanc rem carere testibus exceptione maioribus, imo accuratae temporum computationi aduersari*: quo plus nec ii dicunt, qui manifesto contendunt, hanc esse fabulam fabulosissimam.

Non

(e) *Biblioth. Lat. medii aevi lib. IX. p. 116. sq.* Iusto quidem timidius pronuntiat vir sagacissimus: quem in modum & in *Bibliotheca Graeca* se gerit *lib. V. cap. 43. p. 433. sq.* Non est tamen ad veram eius mentem peruidendam opus vel Argo vel Oedipo.

(f) *In Compendio Hist. eccl. p. 95. sq.*

(g) *Hist. eccl. T. I. p. 645. sq.*

(h) *P. 399. sqq.* editionis secundae.

(i) *P. 470.* editionis primae, *p. 563.* secundae. Cum hoc sentit Harenbergius *Hist. Gandersb. diplom. p. 958. sq.* imo &, qui primo loco nominandus erat, Val. Ern. Loescherus in *der Historie der mittlern Zeiten*, a. 1725. edita, *p. 91.*

fabulosissimam. Non igitur erat, cur prudentem hanc *ampliationem* vitio ei verteret & propemodum exagitaret (k) Colerus, ὁ οὖν μακρότερος.

IX.

Exhibito iam Concilio quodam magnorum Criticorum, maiorem utique habenti auctoritatem, quam si res illa decisa fuisset in concilio (l) aliquo sexcentorum virorum ecclesiasticorum disciplinae criticae imperitorum, & post audita vel leuisimi ponderis argumenta euntium in antecedentem sententiam; sequitur, ut *orsum* inuestigemus huius fabulae, itemque *originem*. Duo namque haec discernimus eum in modum, ut prius inquisituri simus, quo tempore pro vera fuerit habita haec narratio & literis mandata; deinde, quae res occasionem praebuerit hancce fabulam componendi. Ac priori circumspeditione omnino opus est, ut posterius iusta collocetur in luce.

X.

Ut igitur de tempore prius quaeramus, quo historici eam rem commemorare coeperunt, testes citari solent Anastasius bibliothecarius, Radolphus Flauiacensis, Marianus Scotus, Sigebertus Gemblacensis, & Martinus Polonus. Horum codices MSS. cum alii non habeant historiam istam, alii non habeant, inspicere fas est vetustiores

(k) In Diff. paulo ante laudata p. 316.

(l) Tale Concilium fuisse constat Nicenum illud posterius, quod Imperatricis Irenes de sacro imaginum cultu approbavit confirmavitque sententiam.

res codicum, cum (id quod nemo nescit,) secuti descriptores, quae alius margini inscripserat, textui inferere ausi fuerint. Ad Anastasium itaque quod attinet, saeculi scriptorem noni, ipse Spanhemius (m) facile concedit, ab eo non esse literis mandatam hanc historiam. Radulphum Flauiacensem non decimo, quod multi Trithemio crediderunt, sed duodecimo vixisse saeculo, hodie est in confesso: & quis error ei tribuerit narrationem de Papiſſa, itidem (n) nunc exploratum est. Mariano Scoto relationem hanc ex iis etiam, qui reiiciunt Papiſſam inter *ra' d'usa*, nonnulli adseribunt: quod quidem sine suo incommodo faciunt. Si enim vel maxime id iam literis mandasset Marianus ille, tamen tanquam testis remotioris aevi (vixit enim medio saeculo vndecimo,) careret auctoritate, nec audiri deberet ob argumentum nostrum primum, supra §. III. exhibitum. Verum antiquiorum codicum silentio tum (o) Allatius, tum Antonius (p) Pagius satis demonstrant, a Mariano non fuisse exhibitam IOANNAM. Martinum Polonum (Sigeber- ti enim Gemblacensis testimonium ab ipso Spanhemio (q) non habetur pro certo & indubio,) esse huius rei te- stem,

(m) Hoc etiam facit Fabricius *Bibl. Gr. V. 35. p. 337.* Contrarium defendi ab Oudino *T. II. p. 285. sqq.* non mirabitur, qui nouerit, cum e Papae castris, vbi monachi personam gesserat, transisse ad Reformatos: quibus more talium transfugarum communi gratum facere studebat propugnando hanc historiolum.

(n) Vid. Bayle *Dict. v. Radulphe* in nota.

(o) Libri sui *de Ioanna* §. III.

(p) *Crit. Baron.* ad a. 853. §. XIV.

(q) *P. 54. & 56. Conf. Pagius l. c.*

stem, diu fuit adeo certum habitum, vt a compluribus haberetur ac nominaretur huius fabulae *auctor*. At huic quoque asseritam fuisse narrationem hanc, postea docuerunt codices antiquiores, quorum ipse vnum (r) vidi in Coloniensi Societatis Iesu bibliotheca: cui simillimus est Vaticanus ille codex, quem Allatius (s) laudat. Super sunt quidem codices *Chronici Martiniani*, in quibus legitur haec narratio: qualis est ille egregius, quem Vffenbachius (t) possidebat. Sed agnoscit ipse Vffenbachius, eum initio saeculi XIV. exaratum esse: id quod & iudico de Mastrichtii codice in *Struuiana Introductione ad rem litterariam* (u) laudato. Ac demonstratum esse a Lambecio, Oudino, & Iac. Echardo, in antiquissimis Martini Poloni codicibus MSS. non reperiri hanc historiam, iudicare non veretur Fabricius in *Bibliotheca* (x) sua *Latina acui medii*.

D 2

Xl. Vi-

(r) Huic MS. codici perueteri, in quo non est historia de Papiſſa, quidam a. 1668. adſcripſerat, e ſolo hoc codice reſelli poſſe id fabulae. Vid. & Pagii locus modo indicatus.

(s) *f. VII. & VIII.*

(t) Vid. eius *Bibliotheca MS. P. IV. f. 126. p. 133.* In bibliotheca Londinenſi Regia exſtare *Chronicon Martini Poloni* ſaeculo XIV. exaratum, cui alia manu, quam qua reliqua ſunt ſcripta, inſerta Ioanna Papiſſa, nuper docuit Dauid Caſleius in *Catalogo MSSorum* illius bibliothecae p. 102.

(u) *Cap. IV. f. 19. p. 343.* quintae editionis.

(x) *Lib. XII. p. 130. ſq.* Oudinus ſcilicet, qui alio loco fabulam de Ioanna defendit, tamen *T. III. p. 534.* ait, ad Martini Poloni *teſtimonium* prouocari haud poſſe, cum

XI.

Vidimus eos, quibus falso tribuitur prima huius fabellae narratio. Quis iure hunc locum occupet, nunc inuestigandum. Antonius Pagius, vir non solum historicae rei longe peritissimus, verum etiam ingenuus verique perstudiosus, audet id, quod scire cupimus, docere. En ipsius (y) verba: *Figmentum de Ioanna Papiſſa inter annum 1278. quo Martinus Polonus obiit, & annum 1342. quo Ptolemaeus de Luca, Ordinis Praedicatorum, adhuc vivebat, proculsum. Is enim Historiam Ecclesiasticam, quae adhuc inedita est, post annum millesimum trecentissimum duodecesimum promulgavit, & lib. XVI. cap. 8. haec scribit: Omnes, quos legi, praeter Martinum tradunt, post Leonem IV. fuisse Benedictum III. Martinus autem Polonus ponit Ioannem Anglicum VIII. Quare Ptolemaei Lucensis aetate haec fabula recens conficta fuerat & Martino Polono attributa, licet immerito, ut statim monstrabimus.*

cum bonas notae codicum MSS. alii habeant hanc historiam, alii ea careant: ut adeo incertum maneat, an ipse Martinus eam scripserit. Apud hunc etiam Lambecius post laudatos quatuor bibliothecae Caesariae codices antiquos Martini illius, in quibus non exstat haec historia, p. 543. ita concludit: *Indubitate & constanter affirmo, Martinum Polonum falso haberi pro auctore vel approbatore absurdissimae fabulae de Ioanna Papiſſa.* Etiam Io. Chifletius in *Iudicio de Ioanna Papiſſa*, a. 1666. edito Antuerpiae, ac a. 1715. in *Rengeriana Librorum rariorum Collectione* recuso & Mariani & Sigeberti & Martini Poloni codices MSS. se vidisse testatur, in quibus de Papiſſa nihil.

(y) Ad annum 853. §. XIV.

bimus. At Io. Georgius Eccardus (z) primum in literas retulisse hanc historiam censet Martinum Minoritam, qui circa annum 1290. edidit *Flores suos temporum*. Vter assensu sit dignior, Pagius an Eccardus, constituere non sustinemus, cum & Martinus hic ad annum 1336. vitam produxerit, adeoque eadem aetate vterque monachus vixerit. Illud tamen accredimus & Eccardo & Pagio, saeculo demum tertio ac decimo, quod certo sciamus, historicis libris inferi coepisse narrationem illam.

XII.

Deprehenso nunc tempore illo, quo literis publicata fuit haec fabula, sequitur, ut illius disputemus de origine ac natalibus. Enimuero Natalis Alexander Dissertationem suam de Ioanna Papissa, quae in eius *Historiae ecclesiasticae* Tomo sexto (a) exhibetur, ita (b) concludit: *Nullius paene momenti esse videtur, unde fabula tot monumentis conuicta originem habuerit.* E contrario Theodorus (c) Halsaeus originem huius fabulae aperiri vehementer optat, tum facilius locum datum iri ratus eorum, qui eam impugnant, argumentis. Vterque mihi

D 3

qui-

(z) *Comment. de rebus Franciae orientalis lib. XIII. f. 122.* Errat autem idem, cum primus Martini huius *Chronicon* edidisse sibi videtur in *Corpore suo Scriptorum mediæ aevi*. Docet enim Oudinus *T. III. p. 910.* iam a. 1486, in vrbe Vlma excusum fuisse hocce *Chronicon*.

(a) *P. 230. sqq.*

(b) *P. 236.*

(c) *Biblioth. Brem. T. VIII. p. 936.*

quidem recte sentire videtur. Nam ignorantio originis huius fabellae minime sufficit ad reiiciendam sententiam tam bene confirmatam Antipapissianorum. Quam in multis rem ipsam clare cernimus, veram eius causam atque originem haud edocti! Attamen cum complures hic vexet scrupulus, quomodo nasci e nihilo potuerit haec historia; iidemque subinde cogitantes, fieri non potuisse, ut tam contumeliosa de Romano Pontifice narratio inueniret assensum, & quidem assensum vniuersalem, si res non vere euenisset, aegerrime cedant argumentis vel clarissimis huic traditioni oppositis; dandum aliquid est talium ingeniorum siue imbecillitati siue curiositati. Simulac enim conspexerint fontem, e quo non solum hic, sed plures similes errores profluxerunt, admirari desistent, clare scilicet intelligentes, facta saepius esse, fieri quae vel semel posse negauerant.

XIII.

Non est igitur vituperandum eorum studium, qui ingenii vires intenderunt, ut reperirent Papissae incunabula, hoc est, fabellae huius primam originem. Hos prius audiamus; quam nostram expromamus & rite muniamus sententiam. Inter eos tamen priorem tribuamus locum Pontificiis, posteriorem Protestantibus huius erroris antagonistis. Qui primus vidit hunc errorem, Ioannes Auentinus, cum Theodora fecisset mentionem, scortum saeculo decimo nobilissimi potentissimique, ab eaque Ioannem nonum (debebat *decimus* dici,) creaturam fuisse Papam Romanum (d) scripisset: *HINC*, inquit, *fabellam ortam crediderim, quae temere vulgavit, hisce tem-*
peri-

(d) *Annal. Boi. lib. IV. cap. 20. §. 52.*

poribus fuisse sacerdotem maximam foeminam, quae appellata sit IOANNES. Per se nihil est absurdi hac in coniectura: quae cum sit pars meae sententiae infra proponendae corroborandaeque, nunc id commemoro, admodum leues ratiunculas Auentino obiici a Calixto & Spanhemio. Quanquam quid mirum, omnes de origine huius fabulae coniecturas reiici ab iis, qui negant, hanc esse fabulam? Si enim vera est haec historia, profecto falsa & inanis est quaeuis coniectura de natiuitate eius spuria. Auentini opinioni probabilitate non cedit sententia Onuphrii Panuini, ita differentis in annotatione ad Platinae caput de Ioanna Papissa: *Hanc fabulam ex Ioannis Papae XII. (qui & ipse decimo regnavit saeculo,) viri impuri, vita manasse crediderim. Is Ioannes, per vim patris Alberici, Romani Principis, potentia adhuc paene adulescens Papa factus, aliquot concubinas habuit. In his praecipuae erant Ioanna, Raineria, & Stephanía. Ex Ioanne igitur Papa & eius scorto Ioanna, a cuius forte arbitrio tanquam Papae omnia Romae pendebant, Ioannis foeminae Papae fabula manavit, quae processu temporis aucta, in historiae auctoritatem paulatim irrepsit. Vnum hic merito notat (e) Spanhemius, quod scilicet nulla memoretur Ioanna a Luitprando, quem citat Panuinius huius rei testem. Atque hanc ob causam statuere cogimur, Panuinianae coniecturae non inesse verisimilitudinis plusquam Auentiniana, sed utramque parigressu incedere. Audiamus nunc Baronium, qui (f) ortam esse hanc fabulam*

(e) P. 172. Idem iam notarat Blondellus.

(f) *Annal. eccl. ad a. 879.* Haec sententia ad stipulatorem nacta est Maimburgium in *Hist. du Schisme des Grecs.*
lib.

lam putat a nimia Papae Ioannis VIII. facilitate, Photium reponentis in sedem Constantinopolitanam. *Hinc puto factum*, inquit, *quod ob nimiam animi Ioannis facilitatem & mollitudinem, abiecta penitus omni virtute, non Papa, sed Papissa, fuerit contumeliae loco dictus.* Non est vero haecce coniectura nostro applausu digna, cum serius nata sit fabula de Papissa, Ioanni autem nemo illo tempore turpem obiecerit animi mollietatem, satis quippe alias imperioso, & ob pacis tantummodo studium erga Photium leniori: id quod praeclare edisserit (g) Spanhemius. Nec est credibilius, quod Bellarmino (h) in mentem venit, ex eo natam hanc esse fabulam, quod aliquando rumor fuerit, quandam faeminam (i) fuisse Pontificem Constantinopolitanum: hoc scilicet deinde narrari coepisse de Pontifice aliquo Romano. Ac recte Blondellus (k) eam hoc reiicit ob causam, quod vnus Leo IX. Papa hoc scripserit in epistola ad Michaëlem, Patriarcham Constantinopolitanum; nemo praeterea commemoret, publicum illum fuisse rumorem. Nec im-

lib. II. p. 198. & Chalonium in Historia Galliae, sermone Gallico a. 1720. editae, T. I. p. 144. sq. & iam olim Turfelinum in Epit. Hist. lib. VII. in Vita Caroli Calui p. 290.

(g) *P. 189. sq. & 193. sq.*

(h) *Lib. III. de summo Pontifice cap. 24.* Assensit Bellarmino Spondanus, itemque non ita pridem Franc. Schmierius, Ingolstadt. Acad. doctor Iuris Canonici, in libri a. 1709. editi *de modis acquirendi & amittendi Praelaturas ecclesiasticas Cap. I. Sect. VI. §. 3.*

(i) *Conf. Spanhemius p. 12. sq. & 20.*

(k) *P. 62. sq.*

merito Calixtus (l) frigidiorē Scythica glacie vocat coniecturam hanc Bellarminianam. Aequo iure profligamus Leonis Allatii opinionem, qui (m) recordatus pseudoprophetidis Thiotae saeculi noni, summa temeritate contendit, hanc esse veram & indubiam huius fabellae originem. Erudite coarguit hanc Allatii confidentiam (n) Spanhemius, ac liquido demonstravit, *commento* (o) *boc non aliud esse insulsius, magisque abhorrens ab omni specie probabilitatis.* Maiori specie primo intuitui se commendat, quod in caesaris Egassii Bulaei *Historia Vniuersitatis Parisiensis* (p) narratur, Ioanni XXII. oppositum saeculo XIV. Antipapam, Petrum (q) Corbariensem, iuuenili aetate uxorem duxisse Ioannam quandam, at hac postea deserta factum esse monachum; cum autem creatus fuisset Pontifex, Ioannam illam operam dedisse, ut recuperaret maritum illum suum, adeoque *Papissa* fieret, hinc natos esse crebros & sermunculos & iocos de *Ioanna Papissa*; posteros tandem propter ignorationem huius facti finxisse Papissam Ioannam noni saeculi. Pulchre

(l) *Lib. de coniugio Cler. p. 497. Conf. Spanhemius f. 36. p. 175. sqq.*

(m) *In Confutatione fabulae de Ioanna Papissa f. 24.*

(n) *f. 39.*

(o) *Verba haec sunt Spanhemii p. 197.*

(p) *T. IV. p. 240.* Lepidam hanc fabulam etiam Nat. Alexander commemorat *Hist. eccl. T. VII. p. 44.* et si hinc non deriuat historiam de Ioanna Papissa.

(q) *Petrum Collutium verum ei nomen fuisse, docet Io. Genesius Sepulveda in Vita Card. Albornotii lib. III. p. 47.*

chre sane & ad iocum accommodate composita est haec narratiuncula, sed ita tamen, vt facile eluceat, nouam hanc esse fabellam, a priori diuersissimam. Nam nec certos suppetere huius rei testes, & fabulam hanc tam recentem non posse matrem esse prioris fabulae, recte respondit Sam. Sorberio, hanc eandem iactanti fabulae de Ioanna saeculij noni Papissa originem, (r) Spanhemius. Quanti denique sit habenda Gilberti Benuenuti, Itali nostri huius saeculi, sententia, vt lector iudicare queat, eam e Io Clerici *Bibliotheca selecta*, vbi (s) excerpta exhibentur ex illius *Dissertatione de Ioanna Papissa*, recitamus. Arbitratur (t) videlicet, natam esse fabulam hanc saeculo duodecimo, quo discordia inter Imp. Fridericum & Papas locum fecerit contumeliosis narrationibus de Papis: addens, moris fuisse illo saeculo, fingere historias; ac eodem temporis tractu in Italia Romanenses, quas vocant, fabulas prognatas esse.

XIV.

Inter Proteftantes duo duntaxat mihi occurrerunt, qui suam ederent de origine huius neniae coniecturam. Palthenius videlicet (u) paucis, quid sibi videatur, exponens: *Existimo*, inquit, *historiam hanc ortam ex statua quadam vel pictura: quae saepe, uti noverum, veteris historiae veritatem adulterauit.* Acu rem tetigisse virum hunc, ex iis, quae deinceps dicentur, apparebit. Ipse vero robur suae

(r) *f. XL. & in Addendis p. 513. Sqq.*(s) *Biblioth. choisie T. XXIII. p. 57. Sqq.*(t) *P. 60.*(u) *In Schelhornii Amoen. liter. T. IX. p. 817.*

suae detraxit sententiae, cum eam protulisse contentus abstinuit a liquidiore eius illustratione. Similem simul ac dissimilem coniecturam Harenbergii, viri clarissimi, aliorum permittimus iudicio: qui (x) putat, statuam quandam saxeam Romanam, quae Venerem repraesentaret vlnis amplexam filium, hoc est, Augustum vel Romulum, a quopiam Papae inimico fuisse venditam pro effigie Papiissae, infantem illum enixae.

XV.

Nostram sententiam vt nunc exponamus ac simul comprobatione reddamus dignam, primum recordari iubemus lectores nostros, saepius accidisse, vt virilia nomina eorum, qui muliebri notabiles essent vitio, mutarentur in muliebria: imo vt huius generis viri contumeliose appellarentur *mulieres*. Egilium quendam, quod *mollior esse videretur*, a Q. Opimio consulari per ludibrium nominatum fuisse *Egiliam*, testis est Cicero in libro secundo (y) *de oratore*. *Quid tu, Egilia mea?* inquebat. Eundem in modum Eutropium, illum Imp. Arcadii purpuratum, in quem inuectiuum exstat Claudiani poema, per contemptum vocitatum esse *Eutropiam*, alicubi me legere probe memini. A Messalino item *Caium Caesarem* mordaciter *Caiam* appellatum fuisse, in Taciti (z) *Annalibus* critica oculorum acie vidit (a) Freinshemius. Narrat et-

E 2

iam

(x) *Hist. diplom. Gandersheim. p. 959.*(y) *Cap. 68.*(z) *Lib. V. cap. 6.*(a) In suo *Comment. ad Curtii VIII. 1. 37.*

iam (b) Iosephus, regem Antigonum, cum turpiter se dederet Sosio, ab hoc salutatum fuisse ioco acerbissimo *Antigonam*. Superest denique nummus, inter *Numismata Imperatorum*, a Bandurio a. 1718. edita illustrataque, conspicuus, in quo (c) Imp. Gallienus, quem *in omnem lasciviam dissolutum tenendae reip. habenas probrosa ignavia laxavisse*, scribit (d) Eutropius, hanc circumscriptus est epigraphen: GALLIENAE AVGVSTAE. Illustrat hunc conuiciandi modum & Virgilius, apud quem (e) hoc occurrit ad Troianos alloquium:

O vere PHRYGIAE, (neque enim PRYGES,) ite per
alta
Dindyma : finite arma VIRIS, & cedite ferro.

Quam quidem esse imitationem Homeri, iam obseruatum interpretibus. Hic namque (f) Therfiten & Menelaum inducit erumpentes in haec ad Graecos verba: 'Αχαιδῆς, ἔκ' ἐρ' Ἀχαιοί, ο Achinae nunc, non amplius Achivi! Quem eundem in modum sensumque Iesaias (g) propheta:

(b) *Antiq. Iud. lib. XIV. cap. 16.*

(c) Exhibetur aeri incisus etiam in *Actis eruditorum* anni 1718. ad p. 390. Caeterum quam multa in contrarias partes disputata de hoc nummo sint a viris pereruditis, docet Vallemontius in singulari *Dissertatione Parisiis 1698. edita, & in Woltereckii Electis rei nummariae recusa p. 168. sqq.*

(d) *Hist. Rom. lib. IX. cap. 6.*

(e) *Aen. IX. 617.*

(f) *Iliad. β v. 235. & η v. 96.*

(g) *Cap. III. 2.*

ta : *Mulieres dominatae sunt populo meo*, hoc est, principes nihil virile praeter corpus (h) gerentes. Scilicet *mulieres* appellabantur, qui fortitudine carebant, a qua *vir* pariter ac *virtus* dicitur. Hoc dicitur Philotas vocatur *famina* apud (i) Curtium, & Clodius a Cicerone in (k) *Miloniana*. Verum quid opus est pluribus?

XVI.

Pictores, quorum ars omnis versatur in imitatione, hoc etiam imitatos esse, ut fortes virorumque rectrices mulieres habitu ornatuque virili induerent, molles & faemellae cuiuspiam serviliter obnoxios viros facie pariter ac veste muliebri exhiberent, quis (l) vel nesciat vel miretur? Nobis nunc nullum huius rei exemplum opportunius est gratiusque, quam illud, quod Donna Olympia praebet, clara illa Innocentii X S. Petri vicarii, vicaria. Hanc enim Papali coronarum triade exornatam ob id ipsum omnium oculis subiiciebat certus nummus, quem in *Historia sua Papatus* (m) commemorat Heideggerus:

E 3

qui

(h) Contra de Fulvia, Antonii vxore, Velleius Paterculus *lib. II. cap. 74.* : *Nil muliebri praeter corpus gerens omnia armis tumultuque miscebat.* ἄσθαις μὲν τῆς γυναικὸς τὸ σῶμα, ἀνδρείον δὲ τὸ φρόνημα, inquit Cyrilus Hierosolymitanus *Catech. XIV. f. 6.*

(i) *Lib. VI. II. 3.* Similis locus *lib. III. 10. 10. & lib. VIII. I. 37.*

(k) *Cap. 21.*

(l) Herculem Omphales *instructum cultibus*, Omphalen Herculis indutam vestitu Ovidius *exhibet Fast. II. 318. sqq.*

(m) *f. CCLVI. p. 396.*

qui & teste producto certae fidei alium adiicit nummum, in quo Innocentius ille repraesentatur sub mitra muliebri cumque muliebri instrumento. Ac honoris quoque causa interdum tales propositas fuisse picturas, vel illud exemplum docet, quod mihi in eodem *Cronico* se obtulit, in quo (n) conspicere est imaginem ligno incisam Papisae, coronam Pontificiam in capite, infantem manu gestantis. In illo videlicet Hartmanni Schedelii *Cronico* (o) mulier infantulum pectori applicans cernitur appicta Hartmanno, Episcopo saeculi XII. Brixienfi, ut significet, hunc esse inter Sanctos cultu dignos patronum grauidarum mulierum. Sed fatendum tamen, maiorem esse numerum satyricarum picturarum: ac potissimum eo tempore, quo Papam adorabat vniuersa Europa, pictorum manus occupatas fuisse describendis varias per figuras Clericorum vitiis & flagitiis, singulari libello (p) docuit magnus ille Theologus, Ernestus Salomo Cyprianus, illustris nunc Propraeses Gothani Consistorii. Ipse plures huius generis picturas commemorauit in Dissertatione (q) a. 1710. emissa de *Friderico Barbarossa*, *Papae pedibus non subiecto*: vbi doceo, illam ipsam fabulam nonnisi e pictura quadam symbolica natam esse. Inprimis obseruatum dignum;

(n) *Fol. 169. b.*, edit. 1493.

(o) *Fol. 204. a.*

(p) Haec Dissertatio recusa est a. 1704. Ienae in eius *Pentade Dissertationum ecclesiasticarum*. Recordor hac occasione, Pagio ad a. 853. §. 14. fabulae de Ioanna Papisae auctores videri fuisse Waldenses: quae opinio etsi perincerta, non tamen inepta est.

(q) Recusa haec est in *Poeciles meae tertio Tomo p. 145. sqq.*

gnum, saeculo duodecimo Abbatem illum Calabrum, Ioachimum, quem inter *testes veritatis* retulit Flacius, variis iisque lepidis picturis exhibuisse Paparum mores illaudabiles: quas picturas buxo haud ineleganter incisas spectandi cupidus qui est, eum adire iubemus Io. Wolfii *Lectionum memorabilium* (r) *Centenarium duodecimum*.

XVII.

Atque hoc ipsum est, quod mihi nunc volo, cum promitto, indicaturum me veram fabulae de Ioanna Papiſſa originem. Habebat scilicet saeculum decimum plures Papas, inter quos non vnus gerebat nomen IOANNIS, mulierculis tam flagitiose addictos, vt etiam ecclesiasticum ipsis permitterent imperium, sapientioribus omnibus grauitur indignantibus. Non est, quod hic recitemus horum Pontificum historiam, cum satis sit, vel ad Weismannianam *Historiam Ecclesiasticam* (s) ablegare lectores huius aevi non satis gnaros. Exstat vero & singularis de hoc argumento liber summi Theologi, Val. Ern. Loescheri, inscriptus *Historie des Römischen Zuren-Regiments*. Iam huiusmodi Pontificem Ioannem iusta contumelia vocatum fuisse (t) IOANNAM, quam facile est ad credendum! Quam facile deinceps cupido incesſit huius turpitudinis osoribus, pictum exhibendi

(r) *T. II. p. 361. ſqq.* edit. anni 1672.

(s) *T. I. p. 714. ſq.* Vid. & Calixtus lib. *de coniugio Cler.* p. 507. *ſqq.*

(t) Possis etiam credere, hoc vocabulo significatam fuisse concubinam eandemque dominam Pontificis. Sed ad vnum scopum tendit vtrumuis.

hibendi hoc monstrum, Papamque repraesentandi forma faeminea! Imo non pictas tantum, sed etiam fictas fuisse tales imagines, satis constat. Lutherus noster (u) in ipsius vrbis Romae publico quodam loco suis vidit oculis Papissam lapideam. Quae videtur illa ipsa fuisse statua, quam initio saeculi XV. Theodoricus Niemiſius (x) Romae publice prostare scriptum reliquit: quamque Sixti demum quinti iussu subtractam fuisse oculis populi & in Tiberim proiectam, docet (y) Spanhemius: qui & praeterea docet, Bononiae quoque & Senis (z) publicas fuisse Papissae statuas. Apparet iam ex iis, quae modo diximus, saeculo decimo pictas primum fuisse sculptasque has imagines: cumque longo post tempore hebetiores

(u) Refert id ipse in *Colloquiis mensalibus* f. 306. a.

(x) Verba eius recitantur in Flacii *Catalogo testium veritatis* p. 241. editionis Dietericianae. Ac vix dubito, hanc ipsam esse imaginem, quam in *Chronico* suo exhibet Schedelius. Fuit enim aliquo tempore Romae hic vir. Nec dicas, incredibile esse, statuam Papae mulierosi satyricam & symbolicam publice conspectam fuisse in ipsa vrbe Roma. Nostine hodie nondum elinguem factum Pasquinum? Minuit enim Pontificis maiestatem sua praesentia. Et cum in duabus illis vrbibus Italiae, sinceris Papae religionis cultribus, Bononia & Senis, locus quidam publicus diu exhibuerit Papissae statuam, quid miraris, Romae talem fuisse, & eo quidem tempore, quo tota Roma credebat, aliquando sibi praefuisse mulierem?

(y) *Diff. de Ioanna Papissa* p. 95.

(z) De Senensi statua vid. & Ant. Pagius ad a. 853. §. 16, & 17. vbi docet, quo tempore ea fuerit sublata,

tiores haberent has effigies pro testibus veritatis non symbolicis, sed historicis, credi scribique coepisse, aliquando mulierem aliquam euectam fuisse in supremum sacrae dignitatis fastigium. Nec vero matres solum, sed etiam nutrices huius fabellae fuisse istas picturas, facile intelligitur. Ad eas enim ablegari poterant tanquam certissimas testes, qui vel nunquam id audierant vel auditum aegrius credebant. Non iam mirum esse debet, faeculi demum duodecimi decimique tertii scriptores creditam & a se fabulam mandasse literis: quos deinceps excepit ingens & credentium idem, & scribentium exercitus. Ac ita manifestum est, felicem coniectorem fuisse, qui primus hanc fabulam vocavit fabulam, Ioannem Auentinum: cuius de origine huius erroris opinionem dum corrigit Panuinius, non Ioannem decimum, sed duodecimum, locum fecisse huic fabellae existimans, docte quidem repugnat Auentino, sed id tamen docet, quod certo doceri non potest. Neutra enim sententia alteram probabilitate vincit: ac fieri etiam potest, ut uterque illorum Pontificum ob idem crimen eadem sit expressus effigie. Quare incertum hoc relinquere coacti, satis habemus, cognouisse, a fascibus Pontificiis muliebri manui immisis deriuari oportere decantatissimam illam totque & oribus & clamis tritam fabulam. At cur, inquires, ad (a) nonum, non

(a) Calixtus hoc vrget in libro saepius commemorato p. 483. Si illo ipso tempore, inquit, quo scortum Theodora Romam Pontificatui amasios suos praeficiebat, IOANNA poneretur, aliquid probabilitatis haberet dicere, ortum inde fuisse, ut crederetur mulier Romae

F

Pons

non ad decimum, relata fuit Papiſſa ſaeculum? Quid vero mirum, quaeso, ſi, vt cuneus cuneum, fluctus fluctum, ſic fabula fabulam, error errorem trudit? Illa ſcilicet imago, pictoria illa & fictoria Papiſſa, caſu fortuito collocari potuit inter Pontifices ſaeculi noni, primum priuatis in monumentis, poſtea etiam in templo quodam (b) Senenſi: quae vrbs eodem iure habebat Papiſſam, quo Venetiae adhuc oſtentant ſimilem, hoc eſt, ſymbolicam figuram Papae Alexandri III. pedem impoſnentis collo Imp. Friderici. Et quam leuis error eſt, ſi qua fabula vnico aberrat ſaeculo!

XVIII.

Concludere nunc noſtram hanc Diſſertationem poteramus, niſi & illa attingenda eſſet quaestio, an prudentiae ſit, tum gratificari aduerſariis profitendo, maiores & illorum & noſtros hic erraſſe, tum telum abiicere, quod in eos contorqueri poſſit ad grauiffimum vulnus inſtigendum auctoritati Pontificali. Verum, vt ad poſterius prior proferatur reſponſio, iam ingenue agnitum fuit a (c) Calixto & aliis, *nihil lucrari Pontificios, ſi vel maxime memoriam IOANNAE expungere poſſent*. Neque enim poſſunt ſimul obliterare foedam flagitioſorum ſaeculi

Pontificatu functa eſſe. Ex quo apparet, ſi Calixtus ad eam cognitionem perueniſſet, vt videret, hanc eſſe fabulam, non aliam eum, quam nos, aſſignaturum ei fuiſſe originem.

(b) Vid. Spanhemius §. XX. p. 97.

(c) Libri *de conſ. Cler.* p. 501. Ac Dallaeus quoque in *Vindiciis Apologiae pro duabus Synodis P. III. cap. 8 p. 450.* ita Mareſio, qui obtrectabat Blondello Papiſſam e numero Pontificum eiicienti, reſpondet: *Quaſi vero Proteſtantium, quorum omnis religio in*

culi decimi Pontificum memoriam, quorum plures nomen IOANNIS gesserunt & huic fabulae dederunt nascendi causam. Non est itaque, quod sollicitè retineamus Ioannam in choro Romanorum Praefulum. Quid? quod valde prudenter facere censemus eos, qui concedendo atque adeo demonstrando, hanc esse fabulam, ostendunt, se viros esse mentis ingenuae ac sinceris veritatis cultores. Ita enim amorem sibi conciliant & fiduciam Pontificiorum, iudicatorum, minus dignos esse odio & vexatione, quibus tam cara sit simplex veritas, ut etiam suae ipsorum parti, ubi erret, repugnent; atque etiam patientiores patientioresque praebitorum aures, cum errores ipsorum veros manu haud leuiter armata nos aggredimur. Imo audemus statuere, id quoque prudentiae theologiae ac speciatim polemicae esse, ut nec ii Theologorum, qui adhuc pro vera habent istam fabulam, Pontificiis id posthac obiiciant. Cum enim errorem hunc iure suo hi (d) tam clare sibi videantur cognoscere, ut ipso meridie solem lucere non credant clarius, inanis prorsus insumitur opera, praetereaque persuadetur aduersariis, meliora & grauiora non habere arma, qui dimicent tam detritis atque imbecillibus.

F 2


APPEN-


vno Dei verbo firmissime fundata est, multum interest, fabulae haec sit, an historia, defini. Adi & Baelii Dict. v. Blondel nota I.


(d) Inter Pontificios hanc fabellam optime refutarunt Onuphrius Panuinius, Philippus Labbeus, Leo Allatius, Ioannes Laynoius, & Natalis Alexander: quibus adiungendus Io. Stalenus, Germanus Pontificius, qui hac de re singularem singularis doctrinae librum Coloniae edidit a. 1639. 8.


APPENDICVLAE.


- I. Narratio Schedelii de Ioanna Papissa, quam in §. IV. produximus, propemodum ad verbum descripta est e Platina:
- II. Historicorum criticorum, de quibus §. II. p. 6. dictum, hoc est e Tertulliani *lib. V. adu. Marcionem cap. 1.* symbolum: *Nihil credo, nisi, nihil temere credendum.*
- III. Jac. Basnagius in T. IV. *Thesauri monumentorum ecclesiasticorum* p. 663: *Papissae Ioannae, inquit, partibus nullatenus sum additus, hoc est, minime habeo illam historiam pro vera.*











tamen Cardinalis Alberoni in Papam jam eligi;
in ratione titulum Pii bellatoris mereretur, qui
in Hispania antehac exorta tanta malitia gefsit.
Conspiraciones & machinationes suscepisse novi-
deo facile credere solemus, quod immutatô pro-
ris extiturus cultor sit. Potius ex litera A. E.
cto Pontifici competere debebat, conjecturare
gendum fore Cardinalem CONTY Roma-
opum Tarsensem, Virum plus quam Sexagena-
enim illius nomen est Michaelis Angeli de Co-
notat:

Angelus de Comitibus Electus.

jam orbis sibi de eo polliceri debeat, perfecte
edocent. Quivis cui status hodiernus Europæ
ea ponderare, suasque super illa observationes
Illud enim certum omnino est magnas nobis
tiones, quæ quoad plurimam partem à curia
anâ. Erit nempe Pontifex noster Bellator pius,
& crucis defensor. Quid de eo clarius dici,
tura ejus facta melius exprimi possent, ita ut qui-
et facile, quam hoc modo. Sane nostræ vatici-
passu ab omnibus aliis differunt, quæ de Pon-
extant, cum in illis omnia æquivoca obscu-
t, ut sensus illorum ad oraculorum gentilium
ando saltem assequi, non vero uno obtutu co-
n hanc classem, prophetiæ quoque Malachiæ
tantum non obscurissimæ, futuraque secula
saltem partem imperfectissime describen-

Es

